

*SA.* quam rem? quo redeam? *AE.* iamne me vis dicere  
id quod ad te attinet?

*SA.* cupio, modo aequi aliquid. *AE.* vah leno iniqua me  
non volt loqui.

*SA.* leno sum, fateor, pernicies communis adulescentium,  
periuru', pesti'; tamēn tibi a me nulla est orta iniuria. 35

190 *AE.* nam hercle etiam hoc restat. *SA.* illuc quaeso redi  
quo coepisti, Aeschine.

*AE.* minis viginti tū illam emisti (quae res tibi vortat  
male!):

argenti tantum dabitur. *SA.* quid si ego tibi illam nolo  
vendere?

coges me? *AE.* minime. *SA.* namque id metui. *AE.*  
neque vendundam censeo

quae liberast; nam ego liberali illam adsero causa manu. 40

195 nunc vide utrum vis, argentum accipere an causam meditari  
tuam.

delibera hoc dum ego redeo, leno.

## SANNIO

pro supreme Iuppiter,

minime miror qui insanire occipiunt ex iniuria.

domo me eripuit, verberavit; me invito abduxit meam

(ob male facta haec tantidem emptam postulat sibi tradier); 45

200 homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.

verum enim quando bene promeruit, fiat: suum ius postulat.

age, iam cupio si modo argentum reddat. sed ego hoc  
hariolor:

ubi me dixero dare tanti, testis faciet ilico